

debemus, Domine deus meus, uirtus mea: nullamque unquam cum peccato habere pacem (id quod est seruire affectionibus) sed magis resistamus eis, & ostendamus nullas esse inducias odiorum erga illa: neque habere uelimus concupiscibilia mundi, sed renunciemus omnibus. Non potest enim discipulus Christi, qui non renunciat omnibus, & pacem habet cum his quæ in hoc mundo, animas damno afficiant. Christi sanè discipulus sal debet esse: non solum ipse bonus existens, sed & maliciæ non particeps, alijsque communicans bonitatem. Ita enim se habet sal: ipsum enim quum maneat, nescium erit corruptionis, & alia seruare ualet ne corrumpantur, quibus suam qualitatem communicat. At si naturam suam sal abiecerit, omnino inutile, neque terræ, neque stercore accommodum. Quod autem dicit, ita se habet: Ego quidem omnem Christianum utilem, & condire ualentem esse uolo, non solum eum cui concedit docendo donum, quales sunt doctores & pastores: sed & exigo ut laici ipsi bonæ frugis, & utiles sint proximis. Iam si profuturus alijs reprobis fiat, & à Christianorum ordine eiiciatur, neque proficere, neque utilitatem capere poterit. Neque in terram inquit, neque in sterquilinum utile est. Insinuatur autem per terram quod utilitatem capiat, per sterquilinum autem quod proficit. Ideo reijcitur & reijciendus est, tanquam qui nec proficit, nec utilitatem percipiat. Et quoniam obscurus parabolicusque sermo ille fuit. Excitans auditores dominus, ut non simpliciter suscipiant dictum de sale, dicit. Qui habet aures ad audiendum, audiat: hoc est, qui habet intellectum, intelligat. Aures enim hoc loco sensitiuam uirtutem animæ, & ad intelligendum aptitudinem significat. Omnes itaque fideles sal sunt, ex diuinis sermonibus & superna gratia qualitatem suscipientes. Et quod gratia sal sit, audi Paulum dicentem: Sermo uester sit in gratia, sale conditus. Et ita si fuerit sermo *ἡ χάρις*, hoc est sine gratia, insulsus dicitur. Igitur si diuinorum eloquiorum qualitatem contempserimus, & non susceperimus eam in nos, stulti & intellectu carentes efficimur. Et profecto insaturum est sal uestrum, si non habuerit supernæ gratiæ qualitatem.

Colof. 4.

C A P V T X V.



Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut audirent illum. & murmurabant pharisæi ac scribæ, dicentes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens: Quis ex uobis est homo, qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis: nonne relinquit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et quum inuenierit eam, imponit in humeros suos gaudens: ueniensque domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore resipiscente, magis quam super nonagintanouem iustis, qui non indigent poenitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam: nonne accendit lucernam, & uertit domum, quaritque diligenter donec inueniat? & quum inuenierit, conuocat amicas ac uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis: Gaudium erit coram angelis dei super uno peccatore resipiscente.] Dominus quidem illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos & peccatores, tanquam medicus infirmos. Qui autem reuera peccatores erant, obmurmurationem tantæ humanitati rependebant. Abominabiles enim censebant publicanos: ipsi autem domos uiduarum & orphanorum comedebant. Quid igitur dominus? Sicut misericors erat erga publicanos, ita & erga illos qui suam calumniabant misericordiam. Non enim auersatur eos tanquam insipientes & obmurmurantes, sed mansuete sanat, parabolam hanc de ouibus dicens, & de manifestis & certis eis persuadet & confutat, ita ne agere ferant tantam bonitatis effusionem. Nam si in oue una irrationali, & quæ ad imaginem dei non est facta, si quum errauerit, fuerit inuenta, gaudium fit tantum: quantum uerisimile est fieri in homine rationali ad imaginem dei condito: Manifeste igitur parabola hac iustos dicit per oues nonagintanouem, & peccatorem unum. Dicunt autem nonnulli centum oues omnem creaturam rationalem, unam autem ouem, rationalis.

rationalis naturæ hominem, quem errantem requisivit pastor bonus, relictis nonaginta nouem in solitudine, hoc est in superno loco coelesti. Solitudo enim est cœlum, & à mūdano tumultu sequestratum, plenumq; omni tranquillitate ac pace. Dominus uero ut inuenit illum quæ errauerat, imposuit in humeros. Infirmittates enim nostras & peccata nostra ipse portauit, & omnia onera nostra, non grauatis ipse suscepit, persolutis omnibus quæ debebamus, & nos sponte ac libetè portauit, usq; in domum nostram, hoc est in cœlum: & conuocat amicos & uicinos, fortassis angelos, quos & oues diximus esse iuxta aliam & aliam relationem. Nam secundum quod omnis creatura condita ad deū confertur, pecuina est & bruta, & secundum hoc dicuntur etiam supernæ uirtutes oues: ac si ad alias creaturas conferuntur rationales, dicuntur amici & uicini, angelicarum uirtutum chori. Et per mulierem intelligas sapiētiam & uirtutē dei, & patris, Iesum ipsum qui perdidit unam drachmam, ex rationalibus & ad imaginem conditis creaturam, hominem inquam: & accēdit lucernam, suam carnem. Sicut enim lucerna, quamuis sit ex terra, illuminat tenebrosa per lucem quam recipit: ita & caro domini, licet terrena esset, similisq; nobis, lumine deitatis suæ quam in se recepit, apparuit, quū incarnatus esset. Et domus, hoc est omnis mundus, repurgata est à peccato. Christus enim abstulit peccatū mundi. Et planè inuēta drachma, gaudium fuit & Christo, & supernis uirtutibus quæ amicæ eius & uicinæ sunt. Amicæ quidem, quia uoluntatem eius faciunt: uicinæ uero, quia incorporeæ. Quid autem, si amicæ sint omnes supernæ uirtutes: uicinæ autē, quæ propiores ei, ut throni & cherubim? Dicendo enim amicas & uicinas, duo genera manifestauit, quamuis hoc curiosius uideatur.

Alit autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adulescentior illorum patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ ad me redit. Et diuisit illis substantiam. Ac post dies non multos, quum omnia cōtraxisset adulescentior filius, peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose: & postquam omnia consumpsisset, facta est fames ualida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit uni ciuium regionis illius: atq; is misit illum in uillam suam, ut pasceret porcos: & cupiebat implere uentrem suum de siliquis, quibus porci uescebantur: neq; quisquam illi dabat. Et hæc parabola superiori similis est. Inducit enim & illa, hominē quidem, deum uidelicet uere misericordem, filios autem duos ordines hominum, iustorum dico & peccatorum. Dixit autem iunior: Da mihi partē substantiæ quæ ad me pertinet. Olim humanæ naturæ possessio erat iustitia: ideo & filius senior nō insolescit. Peccatū postea natum est, unde & iunior insolescit, qui cum peccato quod postea introductum est creuit. Vel aliter: iunior dicitur peccator, quia nouator rerum insolens & desitens à paterna uoluntate. Pater, da mihi partem substantiæ quæ ad me pertinet. Rationalis ad quam subsequitur liberum arbitrium, substantia est hominis. Omne autem rationale, liberi arbitrij est. Dat igitur nobis dominus rationem, ut ea libere utamur, tantum nostra substantia. Dat autem omnibus ex æquo. Omnes enim ex æquo rationales sunt, & æque liberum habent arbitrium. At alij utimur hac libertate secundum rationem, alij autem dilapidamus donum diuinum. Et simpliciter omnia quæ dedit nobis dominus, substantia nostra censei possunt: ut exempli gratia, cœlum & terra, & in summa creaturæ omnes, lex, prophetæ. Atqui filius nati minor uidit cœlum, & cœlum fecit deum: uidit terram, & coluit eam, in lege dei noluit ambulare, in prophetis scortatus est. At senior filius omnibus his in gloriā dei usus est. Itaque ille qui dedit omnia hæc ex æquo, permisit libere ingredi. Nullum enim cogit, non uolentem ut sibi seruiat. Nā si uoluisset nos cogi, non fecisset nos rationales, & liberi arbitrij. Porro filius iunior omnia hæc simul decoxit. Et quæ causa? Profectus est in terrā longinquam. Nam quando egreditur homo à deo, & se à timore dei elongat, omnia diuina dona expendit. Propter quod enim deo existentes, nihil tale quod interitu dignum facimus, iuxta id quod dicitur: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quia à dextris meis est, ne commouear. Illo autem longe à nobis absente, efficiamur apostatæ facientes & ferentes pessima quæq; iuxta illud dictum; Ecce qui elongat se à te, peribunt. Dissipauit igitur sub

stantiam suam. Merito. Virtus enim terminum unum habet, & unum quoddam est: atque malitia multiphariam diuisa est, errorumque multorum causa. ut exempli gratia: Fortitudinis unus est limes, ut quando oportet, & quomodo oportet, & erga quos oportet irascibili uti. Vitij autem eius duæ sunt species, timor, & audacia. Vides spargi rationem, & unitatem uirtutis disperire? Consumpta autem substantia illa, homine secundum rationem naturalem dico eunte, & non iuxta legem scriptam incedente, neque prophetas audiente, fames magna est facta: non fames panis, sed fames audiendi uerbum domini. Initium fit penuriæ, quando quidem non timet dominum, sed longe discedit ab eo: nam illis qui timent dominum nulla est penuria. Quomodo autem nulla est inopia timetium dominum? Quia qui timet dominum, in mandatis eius uolet nimis, & propterea gloria & diuitiæ in domo eius: & dispersit, immo ipse etiam dedit pauperibus, tantum abest, ne egeat. At qui longe profectus est à domino, & non habet ante oculos terribilem eius faciem, nimirum si inopia laboret, sermone diuino nihil in illo operante. Et profectus est, hoc est processit & profecit in malitia. Adhæsit uni ciuium regionis illius. Nam qui adhæret domino, unus spiritus fit cum illo: qui uero adhæret scorto, unum corpus fit cum natura dæmonum, atque fit totus caro, neque spiritus est capax. Sicut hi qui tempore diluuij fuerunt. Ciues regionis illius qui à deo defecerat, dæmones omnino sunt. At qui proficit, & in peccatis fit potens, pascit porcos, hoc est & alios docet maliciam & lutosam operationem. Porci enim sunt omnes, qui in luto uilium & materialium affectionum uolutantur: nam porcorum oculi nunquam possunt sursum spectare, aliam sortiti formationem. Vnde & porcorum pastores quum non possunt compescere porcum clamantem, resupinantes illum, efficiunt ut minus clamet. Etenim quasi in spectaculum ueniunt spectantes quæ nunquam uidere, & aspicientes sursum, stupefcunt & silēt. Tales sunt oculi eorum, qui male educati sunt, nunquam uident ea quæ sursum. Tales pascit is, qui multis in malitia præest, ut est scortorum hospes, uel publicanorum princeps, uel latronum princeps, de omnibus enim his dicendum, quod porcos pascant. Cupit autem miserabilis ille saturari peccato, & nemo ei dat eo saturari. Assueto enim malis, nemo dat satietatem. Non enim manet uoluptas, sed famescit & perit, fitque iterum uacuus ille miserabilis. Assimilatur enim siliquis peccatum, dulcedinem habens & asperitatem. Delectatur enim ad tempus, cruciat uero perpetuo. Eapropter nullus dat satietatem malorum ei, qui illis est assuetus. Quis enim satiat, & quiescere facit? Deus: sed non adest: nam qui talibus uestitur, longe abest à deo. An dæmones? at hi multo magis solliciti sunt, ne unquam quiescamus, & malitia saturi simus.

In se autem reuersus, dixit: Quam multi mercenarij patris mei abundant panibus, ego uero fame pereor: surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis. Et surgens uenit ad patrem suum. Quum autem adhuc longe abesset, uidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens ruit in collum eius, & osculatus est eum. Intemperatus tamen ad seipsum rediit. Quandiu male agebat, extra seipsum erat. Consumperat enim (ut dicit) substantiam, & merito propter hoc extra seipsum erat. Nam qui non gubernatur ratione, sed præter rationem uiuit, & absurda alia exorditur, extra seipsum est, & non manet in sua substantia, hoc est ratione. Quando autem quis cogitat in quantam uenerit miseriam, tunc redit ad seipsum, considerans, & in poenitentiam ueniens à sua exteriori diuagatione. Porro mercenarios dicit catechumenos, quia nondum eò peruenerunt ut dicerentur filij: quia nondum recte illustrati. Omnino autem catechumeni abundantiam rationalium panum habent, quotidie lectiones audientes. Et ut discas differentiam mercenarij & filij, audi tres sunt ordines eorum qui saluantur. Alij enim ut serui faciunt bonum, timentes iudicium, quod & Dauid insinuat, dicens: Confige timore tuo carnem meam, à iudicijs enim tuis timui. Mercenarij uero esse uidentur, qui desyderio bonorum bene placere deo cupiunt, sicut & ipse Dauid dicit: Inclina cor meum deus ad faciendum iustificationes tuas in æternum propter retributionem. At filij sunt, qui propter amorem in deum, mandata perficiunt, sicut iterum Dauid testatur. Quomodo

modo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea est. & iterum: Leuaui manus Pal. 118.
 meas ad mandata tua quæ dilexi: non quæ timui. & iterum: Mirabilia testimonia tua, ideo Psal. 120.
 scrutata est ea anima mea. Quum igitur quis fuerit filius, & deinde propter peccatum Psal. 118.
 abdicatur, uidetq; alios frui diuinis donis, & communicantes diuinis mysterijs, & diui-
 no pane. (Nō enim de solis mercenarijs intelligi oportet, quod mercenario dicitur: sed
 & de ecclesiasticis in genere, q nō sunt ex primo ordine). Tūc sanē illa miseria opor-
 teret ei enumerare. Quot mercenarij patris mei abundant pane, ego autem fame pereor:
 sed surgens de ruina peccati, ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlū.
 Derelinquendo enim cœlestia, peccaui in ea, præferens ipsis uoluptatem contemptibi-
 lem, & præeligens cœlesti patriæ meæ regionem famis. Ita in cœlum peccat, qui illis ter-
 rena præponit. Abest autem omnino à uia quæ fert in cœlum. Scias item quod quan-
 do peccauit, quasi non coram deo operans peccauit. Quando autem confitetur coram
 deo, quod peccauit sentit. Porro surgens uadit ad patrem suum. Non solum enim con-
 sultandum est de his quæ placent deo, sed & opus est factio: nunc quemadmodum uidi
 si feruidam poenitentiam, ita & celerem patris misericordiam uide. Neq; enim expecta-
 uit, donec filius ueniret ad se, sed præuenit & amplexatur. Etenim natura & benignita-
 te deus pater est, & totus totum amplectit, ut unde quaq; ipsum ad se constringat, sicut
 dictū est, & gloria dei illū circumfundit. Olim quidem quando elongabat se filius, tem-
 pus erat & patri, ut ab amplexu se elongaret: nunc uero quum redit & appropinquat
 per conuersionem, tempus est amplexandi. Ruit igitur in collum eius, ostendens eum
 qui olim deficiuerat, nunc obedientem esse factum. Et osculatur eum, reconciliationem
 indicans, & quasi uestibulum quoddā os pollutū sanctificans, ac per hoc ad interna san-
 ctificationem immittens.

Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cœlum & coram te, neq; posthac sum dignus uoca-
 ri filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Proferte stolam primam, & induite illū:
 & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes: & adducite uitulum illū sa-
 ginatum, atq; maculate, sumptisq; epulis lætemur: quia hic filius meus mortuus erat, &
 reuixit: perierat, & inuentus est. Et coeperunt lætari. Per seruos intellige uel angelos
 ministratorios spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui salute digni sunt.
 Illi enim uestiunt à peccato reuertentem stola primā, quam priusquam peccaremus
 gestabamus, indumento scilicet incorruptionis, uel dignitate qua præstat alijs omni-
 bus, ut baptismi dignitate. Prima enim illa nos uestit, & ab ea sumimus honestatis ue-
 situm. Vel per seruos intellige angelos, qui ministrant omnibus quæ propter nos fi-
 unt, & quibus mediantibus sanctificamur. Vel etiam sacerdotes, qui conuersos per
 baptismum & uerbum doctrinæ, induunt, & induunt eos Christum, stolā primā. Qui-
 cunq; enim baptizati sumus in Christum, induti sumus Christum. Et annulū dat in ma-
 num, signaculum Christianismi, quod per opera habemus. Nam manus symbolū ope-
 rationis est: annulus uero signaculi. Igitur baptizatus, & omnis qui à peccato conuertitur,
 debet habere in manu, hoc est operatiua uirtute, signaculum Christiani: ut demon-
 strare queat, quod recreatus sit ad imaginem eius qui se condidit. Vel aliter: Per annu-
 lum intelliges arrabonem spiritus, ut exempli gratia quid dicam: Deus perfectissima bo-
 na tunc dat, quando eorum tempus fuerit. Et nunc ut credibilia sint, illa nobis dat chari-
 smata, ut arrabonem futurorum: & alijs donum operandi miracula, alijs donum docen-
 di, alijs uero aliud quiddam: & quum illa suscipimus, firmiter & perfectiora expecta-
 mus. Et calceos ad pedes, ut custodiantur à scorpionibus, peccatis scilicet quæ uidentur parua
 & occulta. Sicut dicebat Dauid, attamen mortiferis & ipsis, Atq; etiam à serpentibus, id
 est peccatis quæ manifeste nocere censentur. Vel aliter: Calceamenta dantur ei, qui pri-
 mam stolam assecutus est, faciente deo eum aptum ad annunciandum Euangelium pa-
 cis. Christiani enim est prodesse proximo. Vitulus saginatus non ignoratur quis sit qui
 immolatur & comedit. Nam est uerus filius dei & ita homo, & carnem assumpsit na-
 turam ratione carentem & brutam, illaque diuino honore impleuit, & secundum
 hoc uitulus dicitur. Non enim expertus est iugum peccati: saginatus uero, secundum

quod ad hoc mysterium ordinatus est ante constitutionem mundi, & fortassis curiosius uidebitur si dicatur, dicetur tamen. Quia panis quem frangimus, secundum id quod apparet, ex tritico confectus est, sagineus, & ut Græci dicunt σίτου ἄρτος, frumento pastus dicendus est. Secundum hoc autem quod per illum intelligitur quod est caro, uitulus dictus est. Et ipse est uitulus & sagineus. Omnis igitur qui baptizatur, & filius dei efficitur, immo restituitur: & in summa, omnis qui à peccato purgatur, particeps fit saginei illius uituli, & lætitiæ author sit patri & seruis eius, angelis & sacerdotibus, tanquam ex morte resurrexisset, & post perditionem fuisset inuentus. Nam quantum ad malitiæ abundantiam mortuus erat, & desperatus: quantum uero ad humanam naturam, quæ uertibilis est, & ualet à malitià ad uirtutē ingredi, perditus dicitur. Perditus enim mitius dicitur, quam mortuus.

Erat autem filius eius senior in agro: & quum ueniret, & appropinquasset domui, audiuit concentum & choros, & uocauit unū de seruis suis, & interrogauit quid essent illa. At is dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum illum sagineum, quod incolumem illum receperit. Indignatus est autem, nec uolebat introire. Pater ergo illius egressus rogabat illum. At ille respondens, dixit patri: Ecce tot annis seruo tibi, nec unquam præceptum tuum transgressus sum, nec unquam dedisti mihi hœdum, ut cū amicis meis lætarer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum illum sagineum. At ille dixit ei: Fili, tu semper mecū es, & omnia mea tua sunt, lætari autem & gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat, ac reuixit: & perierat, & inuentus est.] Hoc loco celebris mouetur quasiō: Quomodo appareat filius inuidus, qui alioqui uixit, & seruiuit patri bene placēs? Quæ soluitur, si quidem parabolam quis expenderit quare dicta fuerit. Omnino enim, quia obmurmurabant domino pharisæi mundos & iustos se putantes, eo quod susciperet meretrices & publicanos: ac propterea parabola ista, cum his quæ ante eam dictæ sunt eadem est. Quandoquidem pharisæi, qui erant iustiores publicanis, ut uidebant, obmurmurabant. Considera quod gerat personam filij, qui uidebatur obmurmurare contra omnes qui scandalizantur in repentina felicitate & salute peccatorum. hoc autem non est inuidiæ, sed magnæ benignitatis, quam nos ignoramus, & propterea parit murmurationem. Annon & Dauid inducit personam quæ offenditur in pace peccatorū. & similiter Hieremias: Quid quod uia impiorum prosperatur? dicens. Et Esaias: Plantasti eos, & radices egerūt. Hæc enim omnia sunt infirmarū & pauperū cogitationū hominum, qui accenduntur, & loquunt in prosperitate malorum indigna. Dicit igitur per præsentem parabolam dominus pharisæis, quasi in hunc modum: Esto, uos iusti sitis sicut filius ille beneplacens patri, obsecro uos iustos & mundos, ne obmurmuratis in salute filiorum: est enim & ille filius. Itaque non apparet inuidia, sed dominus pharisæorum mentem instruit per parabolam illam, ut etiā si iusti ipsi essent, & omnia mandata dei perfecissent, grauati tamen non deberent suscipi peccatores. Nec mirum est, si ægreferamus super his quæ indigne uidentur fieri. Tanta enim dei est benignitas, & tã liberaliter sua bona nobis communicat, ut & indignatio & obmurmuratio inde nasci posset id quod & in familiari colloquio dicimus. Sæpe cum beneficijs quenquam affecimus, & deinde gratias egerit, dicimus, reprehendunt me omnes, quod tanta in te beneficia contuli: quamuis forte nemo nos reprehenderit, attamen magnitudinem beneficentiæ ostendere uolentes ita fingimus. Videamus autem & particulatim, & breuiter parabolam. In agro erat filius senior, hoc est in mundo hoc: & operabatur suam terram, carnem dico ut impleretur panibus: & seiebat in lachrymis, ut meteret in exultatione. Porro ubi didicit quæ facta erant, noluit ad commune gaudium ingredi: sed misericors pater egreditur, & obsecrat & docet eum lætitiæ causam esse mortui reuiuificationē, eo quod ignorans scandalizatus esset homo, & arguerat eum quod sibi nec hœdum dedisset, intemperato autem sagineum occidisset uitulum. Quid autem est quod per hœdum significatur? Hoc loco discet Omnis peccator ordinatur ad sinistram partē. Dicit igitur bonæ frugis filius: Transégi uitam in omnibus laboribus, persecutionē passus &

fus & afflictus, & à peccatoribus passus: hoc est, nunquàm mihi occidisti hœdum, hoc est humiliasti peccatorem, ut inuenirem uel paruam quietem. Qualis hœdus erat Eliæ Achaab. Persequebatur enim prophetam, & non dedit dominus hœdum statim ad occidendum, ut parumper refocillaretur, & quiesceret cum amicis prophetis suis. Proinde de dicit ad deum: Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subuerterunt. Hœdus Davidi erat Saul, & omnes qui calumniabatur eum, quibus permittebat dominus tentare eum, & non occidit ut lætaretur David, ideo & dicebat: Usquequo peccatores domine: usquequo peccatores gloriabuntur? Hæc dicit in Euangelio & filius, quum in multis esset laboribus, & nullam fuisset affecutus cōsolationem: Neq; aliquem ex perse quatoribus meis morti tradidit: nūc autem ita facile saluat prodigum. Hic igitur totus scopus parabolæ est, propter pharisæos obmurmurantes quod peccatores susciperet: qua docet, etiam si iusti simus, non repellendos peccatores, neque obmurmurandum expectante illos deo. Filius igitur iunior, sunt meretrices & publicani: senior uero pharisæi & scribæ, secundum materiam parabolæ iusti intelliguntur, quasi dicente deo: Esto, uos sitis uere iusti, nullumq; transgressi mandatum: non oportet igitur assumi eos qui à peccatis cōuertuntur. Tales itaq; sunt, qui obmurmurāt in parabola. Non ignoro autem, quod quidam per seniore filium angelos exponunt: per iuniorem autem, humanā naturam, quæ tumultuata est, & dato mādato uacauit delicijs. Alij uero Israëlitas & Gentiles. Verum autem hoc tenēdū est quod diximus, quia filius senior personam gerit iustorum iunior autem peccatorum, & se conuertentium. Totus autem parabolæ contextus propter pharisæos est positus, ut doceat eos dominus, ne ægre ferant susceptionē peccatorum, etiam si ipsi iusti essent. Nullus ergo iudicia dei grauatim ferat, sed gratum sit ei, si peccatores feliciter agant & saluentur. Qui enim scis, si is quem tu peccatorem censeres, poenitentiam agens, gratior fiat? Quid item si occultas habet uirtutes, & ea propter à deo benigne respicitur?

C A P V T X V I.

Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem: & hic delatus est apud illum, ut qui dissiparet bona ipsius. & uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris posthac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere non ualeo, mendicare erubescō: scio quid faciam, ut quum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum baros olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuā, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuā, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quod prudēter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos ex mammona iniquo: ut quum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. ¶ Omnis parabola oblique & figurato modo, rerum quarundam naturam manifestat, non per omnia rebus illis assimilata propter quas assumpta est. Idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito utiles: reliquæ enim sinendæ sunt, quasi parabolam contextentes, & nihil ad propositum conducentes, quomodo & in proposita parabola faciundum. Nam si per tenues particulas omnes exponere tentauero, quis dispensator, quis dispensatoris dominus, & à quo delatus sit, & qui debitor, & propter quam causam, illē quidem oleum, alius autem triticum, & qua de causa centum debere dicantur: & si alia omnia perquisiuerimus, obscurum & molestum sermonem faciemus: & fortassis, si ualde trāsitauerimus, etiam ridiculi erimus. Igitur tantum utilitatis oportet ex præsentī parabola capere, quantum possibile est. Et, ut aliquid dicam, dominus hoc loco uult nos docere, ut bene dispensentur creditæ nobis diuitiæ. Et primum hoc discimus, quod nō su-